



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.
Thomam De Beatitudine. De Actibus Humanis. De
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

Lessius, Leonardus

Lovanii, 1645

Dvb. 3. Vtrum omne interdictum sit seruandum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

5
Effectus
prohibitio
sepulture
sacrae.

Tertium, Quod prohibetur, est sepultura in loco sacro: Cap. *Ut privilegia*, de Privilegijs. Vbi Nota Primò: Non comprehendi Clericos, quia possunt tunc sine solennitate & sonitu campanarum sepeliri, idque vel in cæmeterio, vel Ecclesiâ. Vide Couar. §. 2. num. 7.

Nota Secundò: Omnes eos, qui possunt tempore Interdicti audire Missam, posse etiam sepeliri in loco sacro. Nam cui communicamus vivo, possumus etiam communicare defuncto. Nauarrus num. 181.

CAPVT III.

De potestate Interdicti, eiusque obligatione.

DVBIVM I.

Qui possint interdicere, & qui interdicti?

10 **R**espondeo & Dico Primò: Omnes eos posse interdicere, qui ex potestate ordinariâ vel delegatâ possunt excommunicare. Ita communiter Doctores.

Dico Secundò: Non solum singulæ personæ, sed etiam communitates, & loca interdicto subijci possunt. Patet ex usu Ecclesiæ.

DVBIVM II.

Utrum is, qui sententiam Interdicti protulit, teneatur illud seruare?

11 **E**xempli gratia, Si Episcopus subijciat Interdicto omnes Ecclesias huius vrbs, utrum ipse possit apertis ianuis &c. celebrare? Respondeo: Teneri seruare: quod si non seruet, incurrere pœnas Iuris. Ita Nauarrus num. 165. sicuti etiam tenetur seruare excommunicationem à se latam. Ratio est: Quia ius commune præcipit censuram seruari. Vnde iure communi ligatur, non autem propriâ suâ sententiâ: sed hæc est solum conditio, sine qua non obligaretur.

Aduerte tamen, Episcopum posse relaxare, vel suspendere illud interdictum; & tunc nec ipse tenebitur nec alij.

DVBIVM III.

Utrum omne Interdictum sit seruandum?

12
Serua Interdictum personale.

Respondeo & Dico Primò: Omne interdictum personale, siue sit denuntiatum, siue non denuntiatum, siue à iure, siue ab homine promouens, est seruandum ab eo, qui sic est interdictus. Est sententia Communis DD. Ratio est: Quia per Extrauagantem, *Ad euitanda*, non subleuantur ipsi interdicti in aliquo: vnde ius antiquum in illis vim habet.

Item Interdictum locale denuntiatum.

Dico Secundò: Nullum interdictum locale est seruandum, nisi sit denuntiatum; vt docet Nauarrus num. 187. & colligitur manifestè Extrauagante *Ad euitanda*. Quod fit, vt nullum locale interdictum incurrat à iure, sed solum per sententiam, vel certè denuntiationem.

Dico Tertiò: Sacerdos & quiuis alius Clericus in obeundo diuino officio non tenetur vitare, aut excludere aliquem interdictum speciatim vel generatim, nisi denuntiatum; vt patet eadem Extrauagante.

DVBIVM IV.

Quale peccatum sit violare interdictum?

Respondeo & Dico Primò: Violatio interdicti in Clericis est peccatum mortale: quod est contra Caietanum. Ita Nauarrus nu. 187. & Sotus d. 22. q. 3. art. 1. Ratio est; quia est violatio Præcepti Ecclesiæ in re graui, cui etiam pœna grauis in iure constituta est.

Violat autem Clericus interdictum tripliciter. Primò: Cùm ipse, generatim vel speciatim interdictus, facit alicubi actum Ordinis sacri, à quo est interdictus. Secundò: Si Sacramentum prohibitum recipiat; scilicet Eucharistiam, extremam Vnctionem, vel Ordinem. Tertiò: Si solemniter obeat actum Ordinis sacri in loco, qui de interdicto est denuntiat, etiam si ipse personaliter non sit interdictus.

Dico Secundò: Laicus personaliter interdictus, siue speciatim, siue generatim, peccat mortaliter audiendo sacrum, aliaue diuina officia: similiter percipiendo Eucharistiam, aut extremam Vnctionem; quod est contra Caietanum, qui putat solum peccare venialiter: cuius sententia non est improbabilis, si loquamur de eo qui generatim est interdictus, nec Interdicto causam dedit. Verùm altera sententia est communis, saltem quoad alios interdictos. Vide Nauarrum & Sotum supra. Et Confirmatur: vt si interdictus iussus à Clerico vt exeat Ecclesiâ, non obtemperet, ipso facto incurrit excommunicationem; vt patet in Clementina *Grauis*, de Sententia excommunicationis.

Dico Tertiò: Si locus tantum sit interdictus, Laicus audiens ibi Sacrum, nõ peccat mortiferè. Nauar. num. 187. Caietanus supra, & alij. Ratio est: quia in Interdicto locali præceptum non imponitur Laicis, sed Clericis, quibus mandatur, vt ibi seruent Interdictum, neque ianuas aperiant, aut Laicos admittant; vt patet Clementinâ primâ de sententia excommunicationis.

Peccant tamen Laici mortiferè: Primò, Si vi ingrediuntur. Secundò, Si mendacio, vt si dicant se esse Clericos, vel habere priuilegium: nam decipiunt Ecclesiam. Ita multi Doctores. Contrarium tamen huius videtur verius; quia mendacium istud non est perniciosum, nec est deceptio in re magni momenti. Tertiò, Si nolint egredi, cùm id à Clericis præcipitur, Vide Nauarrum loco citato num. 187.

Dico Quartò: Clerici in celebratione diuinarum officiorum tenentur sub peccato mortifero excludere interdictos, quos Iudex denuntiauit siue speciatim, siue generatim. Vide Couarruuiâ §. 2. n. 3. Ratio est, quia id illis directè ab Ecclesia præcipitur, estque res magni ponderis: nam alioquin tota hæc censura esset inanis.

Dico Quintò: Laici non tenentur vitare interdictos, etsi denuntiatos, neque in diuinis, neque in humanis. Vnde possunt audire Missam Sacerdotis interdicti, & vnâ cum alijs interdictis. Ita Nauar. & Caietan. supra. Ratio est, quia nullum extat præceptum, quo Laici iubeantur communionem interdictorum vitare. Idemque censendum de Clericis, cùm se instar Laicorum gerunt; vt, si audiant Sacrum, percipiant Sacramenta, &c.